

CCXXI.

Anno 1700. die 22. Januarii. Viennae.

Leopoldus Rex eos Regni Slavoniae incolae, qui in terris, a Turcarum dominio liberatis, jus aliquod possessionis praetendunt, coram Neoacquistica commissione comparere jubet.

Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque &c. Rex.

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Egregij & Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, Fideles nobis dilecti. Quum inter reliquos Comitatus, antehac Turcis dediti, jam vero auxiliante DEO Victoriosis Armis nostris Neoacquisitos et recuperatos, Comitatus etiam in Regnis nostris Dalmatiae, Croatiae & Slavoniae situati, signanter autem Sirmiensi, Poseghaiensi, Val-koiensi, Crisiensi, Verouiticensi, Corbauienti & Likensi, in quantum Neoacquisiti essent, e jugo Turcico eliberati extitissent, alijsque in similibus Comitatus Bona possidentes & praetendentes coram Commissione nostra in facto Bonorum & Locorum Neoacquisitorum, Titulorumque Possessionis eatenus edendorum seu liquidandorum, hic Viennae instituta, in Terminis iisdem Praefixis comparuerunt, et soli in attactis Comitatus praefati Regni nostri Slavoniae Bona tenentes & praetendentes ad edendos Possessionis suae Titulos restarent.

Eapropter Fidelitatibus Vestris serio ac firmiter praecipiendo committimus et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, universos et singulos, quorumcunque Bonorum in praenominatis Comitatus nostris situatorum Possessores, primo quoque tempore serio et peremptive admoneatis, ut pro die secunda et subsequentibus affuturi Mensis Maij cum Literalibus Instrumentis et Documentis suis sub Poena Contumaciae et perpetui Silentii coram praefata Commissione nostra ad edendos seu comprabandos Possessionis suae Titulos infallibiliter vel per se, vel per certos Mandatorios suos comparere nouerint ac debeant. Neque secus facturi. Vobis in reliquo Gratia nostra Caesareo-Regia jugiter benigne propensi manentes. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriae, die vigesima secunda Mensis Januarij, Anno Domini Millesimo septingentesimo.

Leopoldus m. p.

Ladislaus Mátyássovsky m. p.

Episcopus Nitriensis.

Franciscus Somogy m. p.